

Anmerkung Venusios zur Vorlage, fol. 119 v: Manca il sugello, che sembra esservi stato per i buchi, che si vedono nella carta e per l' impressione della ligatura.

Fridericus dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hyerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris, quod venerabilis abbas et conventus monasterii Floris fideles nostri quoddam scriptum patens dudum eidem monasterio super quibusdam immunitatibus a maiestate nostra concessum et pendente sigillo nostro munitum nostro culmine ostenderunt, et quia scriptum ipsum in quadam parte sui videbatur quodammodo ex^{a)} antiquitatis rubigine fore consumptum, supplicaverunt nobis humiliter, ut scriptum ipsum renovari et sygillo nostro muniri mandare de nostra gratia dignaremur. Cuius scripti tenor per omnia talis erat:

Fredericus dei gratia Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie magistris doanarum et baiulis in Panormo, Messana et cunctis civitatibus passaggiis et portibus regni Sicilie constitutis tam presentibus quam futuris, ad quos presens scriptum pervenerit, fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Quia monasterium Floris ex privilegiis illustrium augustorum parentum nostrorum dive recordationis et nostro plenam habet et perpetuam libertatem emendi, vendendi et transeundi libere terra marique per totum demanium nostrum fidelitati vestre mandamus et presentium auctoritate precipimus, quatenus nullus vestrum a prelato, fratribus et nuntiis eiusdem monasterii ostendentibus presens scriptum pro plateatici, theloneatici vel passagii iure aliquod de rebus servientibus aut equitaturis^{a)} ipsius monasterii exigere audeat vel extorquere permittat, salvo mandato et ordinatione nostra.

Datum aput Calatager(onem) vigesimo quarto die mensis iulii, none indictionis.

Nos autem attendentes fidem puram et devotionem sinceram, quam predicti abbas et conventus ad excellentiam nostram gerunt, considerantes quoque fidelia servitia, que culmini nostro exhibuerunt hactenus et exhibere poterunt^{b)} in futurum, supplicationibus eorum benignius inclinati, predictum scriptum patens huic presenti scripto nostro patenti de verbo ad verbum inseri et renovari mandamus de nostre gratia maiestatis. Ad huius autem renovationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens scriptum fieri et maiestatis nostre sigillo iussimus communiri.

Datum Fog(ie) anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo, mense decembris, none indictionis.

XVI. a) *überschrieben über getilgtem Wort M*

b) *potuerunt M.*